MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM

Österreich oder Süddeutschland, 2. Hälfte 12. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26825
Copyright: Admont, Benediktinerstift

gente. et celeri martyrio propinquante. [illegible] plene ceptum opus implere non potuit. sed successori suo ex parte aliqua ad peragendum reliquit. Cum quidam corpus unius sancti transferre cuperet et uigilias more solito celebrasset. accepto rastro terram fodere cepit. statimque pauper quidam adueniens qui annis [illegible] tenebatur debilis integram sanitatem recepit operantibus sanctis. Unde credimus in hac ciuitate sanctum habere perpetuam societatem cum martyre: ut qui et ipse martyres uenerans eorum desiderabat semper fieri particeps. cum illis domino miraculo iungeretur uirtutis. Hec in initio illis gloriabatur per signum miraculi quod illis sociandus erat per sanguinem. Cumuletur in laude quod christus est operatus per martyrem. Dies sancti pasche rotato anno uenerat. et quidam ex ministris uas argenteum quod ipse seruare debuerat. furti subtrahens celat. Quod cum uiro dei nuntiatum fuisset et cum auctore lateret. subsequenti nocte orationi incubuit. Moxque illi diuina uirtus et furem et furtum pariter designauit. Mane facto cum inquirerent ministri et singuli cepissent admissum facinus excusare: uir dei allocutum se diuinitus ostensum direxit. argenti reum cum magna mansuetudine misericorditer castigauit ne talia ulterius perpetraret. sicque uir sanctus seruabat in pectore uirtutem discretionis et patientie.

Conuersio sancti Pauli apostoli.

Fuit uir nomine Saulus eruditissimus in legibus moysi et cunctis legis cerimoniis que tunc secundum litteram gerebantur in his mysticum sentiens aut aduertens. hic deuastabat ecclesiam dei. ingrediens domos et trahens uiros ac mulieres atque in carcerem ponens. Igitur cum adhuc spiraret minas et cedes in apostolos domini accessit ad principem sacerdotum et petiit ab eo epistolas in damascum ad synagogas. ut siquos inuenisset huius uie uiros ac mulieres uinctos perduceret hierusalem. Et cum iter faceret contigit ut appropinquaret damasco. Et subito circumfulsit eum lux de celo. et cadens in terram audiuit uocem dicentem sibi. Saule saule quid me persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Qui dixit. Quis es domine. Et ille. Ego sum ihesus quem tu persequeris. Sed surge et ingredere ciuitatem et dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi qui comitabantur cum eo stabant stupefacti audientes quidem uocem neminem autem uidentes. Surrexit autem saulus de terra. apertisque oculis nichil uidebat. Ad manus autem illum trahentes introduxerunt damascum. Et erat ibi tribus diebus non uidens. et non manducauit neque bibit. Erat autem quidam discipulus damasci nomine ananias. et dixit ad illum in uisu dominus. Anania. At ille ait. Ecce ego domine. Et dominus ad illum. Surge et uade in uicum qui uocatur rectus et quere in domo iude saulum nomine tharsensem. ecce enim orat. Et uidet uirum ananiam nomine introeuntem et imponentem sibi manus ut uisum recipiat. Respondens autem ananias ait. Domine audiui a multis de uiro hoc quanta [illegible] mala sanctis tuis fecerit in hierusalem. Et hic habet potestatem a principibus sacerdotum alligandi omnes qui inuocant nomen tuum. Dixit autem ad eum dominus. Vade quoniam uas electionis michi est iste: ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis israel. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pati pro nomine meo. Et abiit ananias et introiuit in domum. et imponens ei manus dixit. Saule frater dominus misit me qui apparuit tibi in uia qua ueniebas ut uideas et implearis spiritu sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis eius tamquam squame. et uisum recepit. et surgens baptizatus est. Et cum accepisset cibum confortatus est. Fuit autem cum discipulis qui erant damasci per dies aliquot. et continuo in synagogis predicabat ihesum quoniam hic est filius dei. Stupebant autem omnes qui eum audiebant et dicebant. Nonne hic est qui expugnabat in hierusalem eos qui inuocabant nomen istud. et huc ad hoc uenit ut uinctos illos duceret ad principes sacerdotum. Paulus autem conualescebat et confundebat iudeos qui habitabant damasci. affirmans quoniam hic est christus filius dei. Cum implerentur autem dies multi. consilium fecerunt iudei ut eum interficerent. Note autem facte sunt saulo insidie eorum. Custodiebant autem et portas die ac nocte ut eum interficerent. Accipientes autem eum discipuli eius nocte per murum dimiserunt eum summittentes in sporta. Cum autem uenisset in hierusalem temptabat iungere se discipulis. et omnes timebant eum non credentes quia esset discipulus. Barnabas autem apprehensum illum duxit ad apostolos. et enarrauit illis quomodo in uia uidisset dominum. et quia locutus est ei. et quomodo damasci fiducialiter egit in nomine ihesu christi. Ex hoc enim saulus qui et paulus cum euangelizaret christum in multis ciuitatibus uenit lystram. Et erat ibi quidam infirmus pedibus sedens claudus ex utero matris sue. qui numquam ambulauerat. Hic audiuit paulum loquentem. Qui intuitus eum et uidens quia haberet fidem ut saluus fieret. dixit magna uoce. Surge super pedes tuos rectus. Et exiliuit et ambulabat. Turbe autem cum uidissent quod fecerat